

sehr schön geschrieben. Die einzelnen Bücher beginnen mit grossen, sehr geschmackvollen Initialen, in rother Umrisszeichnung, zuweilen mit schwarzer Zeichnung gemischt. Es ist die so sehr verbreitete Blatt-Ornamentik, mit einzelnen animalischen Motiven. Auf der Innenseite des ersten Blattes aber befindet sich, abwechselnd in rothen und schwarzen Zeilen geschrieben, ein längeres, auf den Inhalt bezügliches Gedicht in leoninischen Hexametern, welches wir hier folgen lassen.

- Hystorias veterum cupiens pernoscere rerum,  
 Cautus et assiduus lege verba voluminis hujus.  
 Hic est cuncta fere mire contexta videre  
 Alta sacrę legis, summi moderamina regis.
- 5 Josephus hoc cunctas scripturas corpore junctas  
 Nobis jejunos offert optabile munus,  
 Ecclesięque bonam diverso flore coronam,  
 Corde sed exsculpta permiscet idonea multa,  
 Grandibus expensis prebens quasi fercula mensis.
- 10 Bis denis igitur libris pars una tenetur,  
 Judaici belli septem crevere libelli,  
 Ceu totidem panes quibus exsaturemur inanes.  
 Quo melius vidit, subtilius omnia scribit,  
 Qualiter ira Dei, nostri vindex Helysei,
- 15 Miserit in pueros ursos hostesque severos.  
 Mortis inauditę pereunt lue Barrabanitę,  
 Cum Salvatorem perimunt redimuntque latronem.  
 Jam loca nulla focus nec divę gratia vocis,  
 Urbe Deo cara temploque ruente vel ara.
- 20 Laudibus hic magnis Baptistę facta Johannis  
 Narrat, et impleta quę sanctus quisque propheta  
 Dixerat, illesum post busta resurgere Jhesum.  
 Ob Jacobum justum templum testatur adustum,  
 Invidia tentum, non legis amore peremptum.
- 25 Nulla loquendo secus, sine vero lumine cęcus,  
 Indiciis mille notat hunc asinarius ille,  
 Cui pecus est mutum Scriptura teste loquutum,  
 Quo studium vatis Deus arguit impietatis,  
 Increpitatque palam vocalis asella Balaam,
- 30 Qui sitiens censum pervertit munere sensum,  
 Corde dolum celans, bona pessimus ore revelans,  
 Et dum sponte cadit, prudens ad Tartara vadit.  
 Ergo viri talis, tam moribus exitialis,  
 Heu facinus triste! fuit assecla Josephus iste.
- 35 Scilicet hunc ipsum, quem doctus ypocrita Christum  
 Novit regnare, minime timet ergo negare.  
 Quę probat, ostentat, bona temptat, falsa retentat,  
 Tam tenebris plenus, quam luminis est alienus.